



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. XVIII. Modus reducendæ veræ religionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

quāto magis vos ab errore pernicioso in quo nobis inimici estis, trahendi estis, & deducendi ad veritatem vel cognoscendam vel eligendam, non solum ut honorem salubriter habeatis, sed etiam ne pessime pereatis. Dicis Deum dedisse liberum arbitrium; ideo non debere cogi hominem nec ad bonum. Quare ergo illi, de quibus supra dixi, coguntur ad bonum? Attende ergo quod considerare non vis. Ideo voluntas bona misericorditer impenditur, ut mala voluntas hominis dirigatur. Nam quis nesciat nec damnari hominem, nisi merito mala voluntatis, nec liberari nisi bonam habuerit voluntatem? Non tamen ideo qui diliguntur, mala suae voluntati impune & crudeliter permittendi sunt, sed ubi potestas datur, & a malo prohibendi, & ad bonum cogendi. Nam si voluntas mala semper sua permittenda est libertati, quare Israelita recusantes & murmurantes tam duris flagellis a malo prohibebantur, & ad terram promissionis compellebantur? si voluntas mala sua permittenda est libertati, quare Paulus non est permittendus ubi pessima voluntate qua persequatur Ecclesiam, sed posttratus est ut exaceraretur, & exaceratus est ut mutaretur, mutatus ut mitteretur, missus ut qualia fecerat in errore, talia pro veritate pateretur? Si voluntas mala semper sua permittenda est libertati, quare monetur pater in scripturis sanctis, filium durum non solum verbis corripere, sed etiam latera eius tundere, ut ad bonam disciplinam coactus & domitus dirigatur? Vnde idem dicit: Tu quidem percusis eum virga, animam autem eius liberasti a morte. Si mala voluntas semper sua permittenda est libertati, quare corripuntur negligentes pastores, & dicitur eis: Errantem quem non reuocatis, perditam non requisistis? Et vos oues Christi estis, characterem Domini cum portatis in sacramento quod accepistis, sed erratis & peritis.

Oues errantes reuocanda ad caulas.

Non ideo nobis displicamus quia reuocamus errantes, & querimus perditos. Melius enim facimus voluntatem Domini momentis, ut vos ad eius ouile redire cogamus, quam consentiamus voluntati ouium errantium ut pereire vos permittamus. Noli ergo iam dicere quod te asidue audio dicere: sic nolo errare, sic nolo perire. Melius enim nos hoc omnino non permittimus quantum possumus. Modo quod te in puteum ut morereris misisti, utique libera voluntate fecisti. Sed quam crudeles essent serui Dei, si huic mala tua voluntate permitterent, & non te de illa morte liberarent? Quis eos non merito culparet: quis non impios recte iudicaret? Et tamen tu te volens in aquam misisti ut morereris; illi te nolentem de aqua leuauerunt, ne morereris. Tu fecisti secundum voluntatem tuam, sed in perniciem tuam; illi contra voluntatem tuam, sed propter salutem tuam. Si ergo salus ista corporalis sic custodienda est, ut etiam in nolentibus ab eis qui eos diligunt seruetur, quanto magis illa spiritualis in cuius desertione mors aeterna meretur.

Perniciosi libri salutariter prohibendi.

§. 10. Septimum est id quod olim vsitatum fuit librorum pestilentium prohibitio, quae nostris quidem sectariis initio iniusta visa est, sed modo illi ipsi eadem lege vtuntur, nec modo Calvinianorum, sed suorum etiam verant, quare illi Illyrici, atque aliorum sunt: Vt itenbergensibus, & Lipsiensibus praela patere, ceteris occludi. Qua de re cum doctissimus noster Iacobus Greterus accuratissime scripserit ad eum remitto lectorem.

CAPVT XVIII.

Modus reducenda verae religionis.

Facilius seruatur integritas, quam reuocatur.

§. 1. PLERAQUE quae de conseruatione veritatis, & religionis dicta sunt, etiam ad errantes in viam reducendos valent. Viris tamē Politicis aliter, atque aliter tractanda sunt. Difficiliter inuenitur veritas, sed multo difficilius persuadetur erranti. Principis tamen officium est, etiam in hoc incumbere, ut prauae opinioniones tollantur e medio, Deo

honor suus restituatur, animarum pereuntium saluti consulatur.

§. 2. PRIMA quidem ratio, quod in fidibus faciunt musici, ut paulatim ad concentum reducant, tu agendum, & in morbis medici, qui humores noxios particulatim, & per intervalla subducunt, ita quoque in Republica faciendum, quae errorum, & superstitio-num aegritudine laborat. Non probo tardos, & inefficaces languidorum processus, cum saepe a conatu defistitur, omnia quae adhiberi possunt, tentanda suadeo; sed lento, firmoque gradu, ne praecipitetur. Lenta imperia, & monitiones hic plurimum proficiunt.

§. 3. Secunda. Nulli principum Europae, si modo velit, difficile fuerit, animos hominum reuocare ad pristinos maiorum nostrorum ritus, id quod olim fieri nunquam posse putabatur, iam enim veterem religionem plerique amare incipiunt, nec vllis ministrorum calumniis induci possunt, quo minus multi in singulos annos ad vnitatem Catholicam redeant.

Non impediunt musici, ut paulatim ad concentum reducant, tu agendum, quia sic magis obnititur contumacia.

Facile est Europae fidem reddere.

Tantum enim longaeua valet mutare vetustas.

quod ardentissime concupiuerunt, iam fastidiunt; aut etiam oderunt. Fatalis est illa vulgi leuitas noua mirari, vetera contemnere. Cum igitur in cursu haerens erat, nulla vi sisti aut sufflaminari potuit, postea languidior incessit, & in se diuisa, ac collisa impetum amisit, postremo retro reuersa est. Multae Germaniae prouinciae plures passae religiones, iam nullam retinent in dominorum voluntatem intentam. Causa huius rei, ut dixi, Leuitas est, & ignoratio veri. Altera ratio est, quod haereseon, & haereticorum nequitiam diu ignorare nequeunt, quodque in singulos pene annos mutari omnia experiuntur. Sponte in diuersa abeunt ut diu stare non possint. Quemadmodum si caecorum turbam e carcere emittas, facilius est, ut nullus, quam ut omnes ad metam pertingant, hoc argumento si prudenter magistratus vtatur, sponte in viam duci sese sinent, tot auia pertecti, tot sceleratorum apostatarum fraudes experti.

Sacietas errorum inducit ad orthodoxam fidem.

Tot mutationes faciunt ut omnium incerti sint.

§. 4. Hac igitur lenitate agendum est, nisi forte ex haerese sint, quae moram non patiuntur, ut sunt Muncerianorum, atque Anabaptistarum, eorumque qui in magistratum insurgunt. Ille enim ut morbi acuti medicinae lentae locum, & tempus negant, ideo celeri & periculoso remedio opprimenda sunt.

Quaedam haeresece-leri remedia tollenda.

§. 5. Tertio, Haereticarum & doctores errorum Republica pellendi sunt. Vna quidem vice, si commode fieri queat, sin minus sensim & paulatim; Non opus est hac quidem in re probatione; nam turbulentis, & vertiginosis Aolis abactis, mare quod imo fundo exciuerunt, sponte conuiescet. Et error cui patrociniū deerit, sine pugna concidet. Nunquam itaque satis laudati sunt imperatores, qui Arium, Nestorium, Vigilantium alios exilio multarunt, execrandi vero Wandali; qui collectos in Africa sacerdotes, & Episcopos equis obtulerunt, aut in desertis loca deportarunt. Multae rationes sunt religionis temeratores exigendi, quamuis fauente populo venena sua spargant, sed faciet id magistratus legitime, & iuste, nec calumniam vllam inferri sinet.

Tres potentes Germania principes religionis Lutheranae in Calvinianam, seu ipsi vocant, reformatam, commutationem fecerunt. Palatinus Elector, Hassia Landgravius, & Marchio Brandeburgicus, etiam Elector, & quamuis omnes pene subditi Zvinglianissimum odissent, sine vilo tumultu, (nisi quod Berlinum irasci praesumpsit) tralationem illam perfecerunt.

§. 6. His

Tres potentes principes religionem mutantur.

*Præses mu-
tanda sine
tumultu re-
ligionis.*

*Propositi
disimula-
tio.*
*Mutatione
petentium
subornatio.*

*Pauca in-
itio postula-
ta.*

*Disputatio
& collo-
quia, ex
quibus oc-
casio facilis
mutandi.*

*Specie pacis
vetita do-
gmatum
propugna-
tio.*

*Disputatio
publica in-
stituta.*

*Specie pacis
dogmatum
quesita de-
fensio.*

*Suavis
imperii po-
puli patien-
tia cedit.*

*Supplicatio
num populi
dilatatio.*

§. 6. His in commutationibus, hæc fere obser-
uauit ex historia mutata in Palatinatu religionis, ex
actis Marburgensibus, & edicto Brandeburgico.
Primo quidem mutanda religionis, & extirpandi
Lutheranismi propositum celauerunt, non quidem
ut prudentiores ignorarent, sed ne populus com-
moueretur. Secundo, Arte Zvinglianorum quidam
petebant, idque multis, & mollibus verbis, ne prin-
ceps sua sponte in odiosam nouitatem propensus
videretur, sed subditorum conscientis indulgere,
libertatem amare, ac fouere. Laudari enim vulgo
solet facilitas principis, cum in illis etiam, quæ ne-
gare melius erat, se exorabilem præberet. Tertio, Te-
plum illis vnum, alterumque petebatur, ne hoc qui-
dem durum populo videbatur, plura retenturo, nec
de illis nimium sollicito. Quarto, Hic tamen sese
Lutheranorum opposuit Zelotypia, cum templo
enim redditus, pastumque detrahi sentiebant, nec ig-
norabat hoc sagax politicorum providentia, itaque
colloquium, & pacificationem machinantur, in au-
la conuenitur, in consilio principis disceptatur, no-
tarius & testes negantur. Hoc nullo modo proban-
dum est, sed si colloquium instituendum est, sua vri-
que partilibertas, & commoda relinquenda sunt.
Qui enim alterius potentia pressi loco deteriore
fuerunt victores censentur, ut in Hollandia Arme-
niani, cum illos quos principis fauor tutabatur, si
causa fiderent, pari iure, armisque decertare opor-
teret. Quinto, Decretum editum est, de non calu-
miando, non contendendo, non prædamando al-
ios, de pace & concordia fouenda. Hoc principum
edictum ad institutam religionis mutationem effi-
cax fuit. Sic enim efficiebatur, ne contradicere Cal-
uinistis, Zvinglianis, Sacramentariis quicquam, imo
ne nominare quidem auderet. Multum autem pro-
fecit error, cum id obtinuit, ne detegatur. Nec tamē
ne tum quidem populus quisquam mouit, cum a-
lioqui moderatores eristicas, & contumeliosas cō-
tiones multi detestentur; hanc igitur ob causam
princeps non ut hæreson fautor proscindebatur,
sed ut pacis amator laudabatur, præsertim cum the-
sin & anthithesin doceri permitteret. Sexto, Dispu-
tatio Academica instituta est præside Caluiniano,
qui deinceps etiam ordinarius professor constitu-
tus est. Septimo, Ne his quidem omnibus hoc actū
esse videbatur, ut Lutheranismum Zvinglianismus
succederet, sed ut pax constitueretur, nihil enim tum
aliud postulabatur, quam ut Lutherani retentis di-
gnitatibus & fructibus cum reformatis in consilio
simul confidere, & deliberare de rebus Ecclesia-
sticis vellent, hoc cum recusarent, quasi superbi, cō-
tumaces, inobedientes magistratui accusabantur, &
metuisse videbantur dimissionem; quia collegas as-
pernabantur, & pacem.

Hæc omnia hæcenus ita transacta sunt, ut experi-
rentur quid ferre posset populus, si enim tumultus
oriretur, si contutores qui cum Ioanne Casimiro in-
stituti erant eo fine, ne religionem ille mutaret, sese
mouerent, speciosa horum actuum erat excusatio.
Octauo, cum populus Heidelbergensis pro retinē-
dis concionatoribus Lutheranis supplicaret, res si-
lentio transacta, atque interim hoc actum, ut con-
cionatores illi velut nimium peruioces, & cerebrosi
traducerentur, facile itaque petitione sua plebs de-
stitit, & si illi qui adorant despicere, saltem alios
moderatores, & paci idoneos poscebat. Credebant
enim hominum esse offensam, non Lutheranismi o-
diū sperabant itaque, & cum spes esset precibus
obtinere posse credendi libertatem, a vi abstinebant,
donec postremo curam Lutheranismi, ac spem de-
posuerunt. Nono, cum iam tuta omnia viderent,

domo Parochiali excedere iussi sunt Lutherani, om-
nia templa data Caluinianis, nec queri ausi sunt, his præce-
dentibus, qui in exilium pellebantur, sed ad curas domesticas
uersi, posthumam & honorariam mercedem, immu-
nitatem à vectigalibus, similiaque poscebant, effuse
ridentibus Caluinianis rem tam magnæ molis ad tā
humiles, & abiectas preces deuenisse. Decimo, Cum
auditores Academici Lutherani essent, cum illis
quoque varia arte tractatum est, stipendiarius, seu a-
lumnis Electoralibus est oblatus Caluinismus, aut
representata dimissio, pro Catechismo Lutheri
Zvinglianus obtrusus omnibus, ita breui momen-
to maxima conuersio, quasi sine motu contigit, nam
prædicantes rurales facile cum principe opiniones
mutabant. Undecimo, In Hassiaca mutatione hoc
etiam notauit, quod cum Lutherani tam Academici
professores, quam Concionatores officii & hono-
ribus cedere recusarent, mirari se princeps dixit, cum
nondum eos ipse suscepisset, & in possessionem mi-
sisset, morte enim defuncti principis eorum quoque
loca vacua facta, & iura in sua esse potestate. Duo-
decimo. Lente etiam & particulatim processum est
in Hassia, neque Caluinismus totus proferebatur,
sed quædam ut videbatur exigua pars, nempe, re-
dintegratio præceptorum decalogi, fractio panis.
Itaque licet initio Marburgenses ad conciones Lu-
theranorum quos discessuros audierant, solliciti ac-
currerent, cœnam caperent, nihil tamen postea mo-
uerunt, sed paulatim ad Caluinismum migrant,
multo facilius, si alio vocentur, obtemperaturi, ne-
pe in Arminianismum, aliamue sectam. Tertiodeci-
mo, Consecutæ sunt scriptiones vtriusque, sed præ-
ualuerunt, quarum fauor ab aula erat. Plurimum
autem profuit, cognita Lutheranorum ministrorum
in moribus nequitia, quocirca quosdam magna
contumelia sub patibulo exautorarunt.

§. 7. Quarta ratio est, quam video olim vsurpa-
tam, & nunc quoque vigere, nempe ut qui veræ re-
ligioni aduersi sunt, honoribus, dignitatibus, & mu-
neribus publicis arceantur. Neque iniquum est,
eum qui Reipublicæ incolumitati obstat, à republi-
ca honores, & opes non adipisci. Magnorum rei cri-
minum honoribus arcentur, cur blasphemii, & con-
temptores veritatis admittantur?

Theodosius ita sanxit: & ante eum tres Constan-
tini magni filii, omnia priuilegia quæ religionis con-
templatione data sunt ademerunt hæreticis, de hæ-
ret. l. Priuilegia. Fredericus non hæreticos modo, sed rece-
ptatores, fautoresque damnat, & nisi intra annum satisfac-
erint, infames esse iubet. Nec ad publica officia seu consilia, vel
ad eligendum aliquos iubet adhiberi, adiungit alias penas
quæ supra in constitutione notatæ sunt. Multa sunt
huius consilii emolumenta; nam si in dignitate sunt
aduersarii religionis, multa habebunt, quibus se prin-
cipi opponunt, subditos inficio principe diuexent,
nemo enim cum diuersam à suo principe religionem
tuetur, ita illi fidelis est, sicut aliis, quibus cum con-
sentit. Deinde subditi lentius ad veritatem veniunt
cum perfidiam suam in confortibus errorum suorum
honoratam cernunt. Tertio, sola vera, & Catholica
fides persecutione crescit; quia sola spe bonorum
futurorum nititur, superstitiones, nisi forte primo
impetu, detrahendis commodis minuuntur ac eu-
nescunt. Quanti res illa momenti sit, intellexere
quidam Germaniæ principes vltimis comitiis Ra-
tisbonæ institutis: petunt enim ut Cæsar aulicos cō-
siliarios pari numero ex diuersa religione legat, cum
tamen ipsi Catholicis non vrantur, imo nec Luthe-
rani Caluinistis, nec hi Lutheranis.

§. 8. Quinta ratio est, ut cum tota aliqua heresis, Summa
extirpanda est, idque moderate, & ratione agendū, dedecora
non mero imperio, carpantur primum illa, quæ in
vulgus

*Omnibus
his præce-
dentibus,
tuta expul-
sio doctorū.*
*Sudioforū,
& alumno-
rum muta-
tio.*
*Plena arro-
gatio om-
nium offi-
ciorum.*
*Paucorum
articulorū
propositio.*
*Scriptiones
instituta.*
*Blasphemos
non decet
dignitati-
bus fulgere.*
*Qui prin-
cipem suum
putat im-
pium fidelis
illi non est.*
*Potentia
consortium
fiduum.*

vulgus male audiunt, quæque absurditatem primo aspectu etiam rudibus ostendunt. Exemplo sunt Calviniani qui vt facile auctoritate Lutheranos attererent, nomen Lutheri sæpe cum veneratione vsurpabant, eos autem Lutheranos quos contra agebant omnes Flaccianos appellabant, Flacci vero inter Lutheranos secta præcipue erat stoliditatis & amentia. Sic Pareus, qui omnes Lutheranos vnam habere ceruicem exoptat, contra Vbiq̃uitarios violentos veritatis hostes agere se profitetur. Vltraiectes cum rigidum Calvinismum extirpare Synodo sua conarentur, quod caput eius erat impietatis edicto vetuerunt; *cauerent omnes ne ea docerent, ex quibus Deus auctor peccati haberi posset.* Magistratus ergo orthodoxus cum postliminio reducere pietatem pristinam vult, sententiarum manifestam flagitia, in quibus maior est etiam impudentium verecundia primum carpenda curabit, multa enim tegunt, multa verbis adumbrant, quibus si rem spectes nulla est venia, hæc protrahenda sunt in lucem, vt odio digno profligantur. Sic enim auctoritas detrahetur falsis doctoribus, manifesto in crimine deprehensis. Tales enim superstitiones ostendisse, confutasse est.

Cum dissensiant scilicet, eas que vera docent aliquæ probare.

§. 9. Sexta ratio reducendæ pietatis, & abolendi erroris est. In rem suam vertere lites errantium. Quis enim non facile Puritanos in Anglia redigat in ordinem, si Episcoporum approbationem ab illis extorqueat, aut eisdem Puritanos ex Belgio, si mitioribus in controuersia feruente adhareat? Varietas enim credendi facit eos, qui certi sibi videbantur, ancipites, ita cum ad vnam partem disceptantium consensus principis accedit; alteram facile euertit, & integram obnoxiam efficit. Exemplum magnum est Apostolus, qui in consilio quod ex diuersis sectis constabat, vnius sententiam veram approbando calculi absolutionis meruit. Effecitque, vt sua dissensione impediti contra veritatem conspirare non possent. Hoc principi Orthodoxo præcipue suaferim, nam haud minus commode errantium dissidiis, quam recte credentium concordia ad extirpandos errores vtiatur. Quandoquidem etiam in preliis imperator non modo rei militaris peritia, & robur, sed crebro etiam hostium incuria, vel lapsus, reigerendæ optatissimas occasiones obtulerunt. Modo in specula sit, vt momenta videat, & morbis non modo conuenientem, sed opportunam etiam faciat medicinam. Diæta multos curat, olim cum Rigidus Calvinismus tentaretur à Lutheranis in ipso actu patoxyimi malum exasperatum est, multumque damni attulit subdita coercitio; nunc sponte de rigore durissimam partem Arminiani remiserunt, & Calvinianos impios iudicant, atque in ipsa Academia persequuntur, in aliis oppidis exulare cogunt, plura & atrociora auri, ni partis aduersæ vires pertimescerent. Profecto si Mauritijs solius generosa vis pro mollibus staret, Contraremonstrantium rigor emollescere, aut frangeretur.

Cæcus clandestini impediantur.

§. 10. Septima ratio est, si coitiones clandestinæ, publicæque prohibeantur; ita Arcadius Gainæ templum pro Ariana perfidia denegauit; sic Leo & Anthemius imperatores Paganis interdixerunt ne ad impia sacra conuenirent. c. 11. Nemo ea, quæ sepius Pagane superstitionis hominibus interdicta sunt, audeat percontare, sciens, quod crimen publicum committit, qui hæc ausus fuerit perpetrare. In tantum autem huiusmodi facinora volumus esse rescanda, vt etiam si in alieno predio, vel domo aliquid tale perpetraretur, scientibus videlicet Dominis prædium quidem vel domus sanctissimis iuribus æuarii addicuntur: Domini vero pro hoc solo, quod scientes consenserint, sua loca talibus contaminari sceleribus, siquidem dignitate vel militia quadam decorantur, amissione militia vel dignitatis, nec non rerum suarum proscriptione plectuntur: priuata vero conditionis vel plebeæ constituti: post cruciatus corporis, operibus metallorum,

aut perpetuo deputabuntur exilio. Et ante hunc Valent. & Marcianus. Nemo venerandi adorandique animo delubra, quæ olim iam clausa sunt, referat. Absit à seculo nostro infandis execrandisque simulacris honorem pristinum reddi, redimiri sertis templorum impios hostes, profanos aris arcendis ignes, adoleri in iisdem thura, victimas cadi, pateris vina libari, & religionis loco existimari sacrilegium.

Ipsa loca huiusmodi in vsum trahantur.

§. 11. Octaua ratio est, seueritate legum, & pœnis contumaces ad officium adducere. Religionum violatarum aliubi, atque aliubi diuersa pœna est, sed vbiq̃ue aliqua. Merito ac iure: Nam quod in diuinam religionem committitur, in omnium fertur iniuriam, quod omnibus nocet, Reipublicæ periculo nocet, ideoque à Republica repelli debet. Quando autem periculose ista docentur, apud eos, quos conscientia quietos esse non sinit, malo toto de eo genere magnum Ecclesiæ doctorem citare ac proponere. Primo eo modo multos esse correctos docet, Ep. 50. Hoc enim contrigit Donatistis, quod accusatoribus S. Danielis. Sicut enim in illos leones, sic in istos conuersæ sunt leges, quibus innocentem opprimere voluerunt, nisi quod propter misericordiam Christi, magis pro eis sunt leges istæ, quæ illis videntur aduersæ: quoniam multi per illas correcti sunt, & quod tunc corriguntur, & se esse correctos, atque ab illa furiosa perniciæ liberatos gratias agunt. Et qui oderant, diligunt, molestasque sibi fuisse saluberrimas leges, quantum in insania detestabantur, tantum receptæ sanitate gratulantur, & in residuos cum quibus fuerant perituri, iam simili dilectione nobiscum, vt pariter instemus ne illi pereant, excitantur. Molestus est enim & medicus furienti phrenetico, & pater indisciplinato filio, ille ligando, iste cadendo, sed ambo diligendo. Si autem illos negligant, & perire permittant, ista potius mansuetudo falsa crudelis est. Si enim equus & mulus, quibus non est intellectus, moribus & calcibus resistunt hominibus, à quibus eorum curanda vulnera contrectantur, & cum inter dentes eorum & calces sepe homines periclitentur, & aliquando vexentur, non tamen eos deserunt, donec per dolores & molestias medicinales reuocent ad salutem: quanto magis homo ab homine, & frater à fratre, ne in eternum pereat, non est deserendus, qui correctus intelligere potest quantum sibi præstatur beneficium, quando se persecutionem perperi querebatur.

Seueritate legum errores coercendi sunt.

Medicina molestia sanatis grata est.

Caritas bene facit etiam multo.

Verum hic lex illa valeat, vt coerceat diligendo, non saeuendo, castiget vt corrigat, non vlciscatur, vt euertat.

Deinde pergit: Cur ergo non cogeret Ecclesiæ perditos filios vt redirent, si perditis filiis coegerunt alios vt perirent? Quia etiam illos quos non coegerunt, sed tantummodo seduxerunt, si per terribiles, sed salubres leges in eius gremio reuocentur, blandius pia mater amplectitur, & de illis multo amplius, quàm de his quos nunquam perdidit, gratulatur. An non pertinet ad diligentiam pastorem, etiam illas oues quæ non violenter creptæ, sed blande leniterque seductæ, à grege aberrauerint, & ab alienis coeperint possideri, inuentas ad oisile Dominicum, si resistere voluerint, flagellorum terroribus, vel etiam doloribus reuocare?

Si ad hæresin cogunt mali, cur non ad veritatem cogant boni.

§. 12. Hæc Augustinus, qui tamen alias in ea sententia fuit, non esse petendum ab imperatoribus, vt hæresin Donatistarum iuberent omnino non esse. Sed postea mutauit; nam mentibus prauis, frigidis, duris necessariam putabat medicinalem molestiam. Hinc, inquit, ergo factum est, vt imperator religiosus & pius perlatis in notitiam suam talibus causis, mallet pijsimis legibus illius impietatis errorem omnino corrigere, & eos qui contra Christum Christi signa portarent ad vnitatem Catholicam terrendo & coerendo redigere, quam saeuendi tantum modo auferre licentiam, & errandi ac pereundi relinquere. Tam vero cum ipsa leges venissent in Africam, præcipue illi qui querebant occasionem, aut seueritatem furentium metuebant, aut suos vecundabantur offendere, ad Ecclesiæ continuo transierunt, multi etiam qui sola illic à parentibus tradita consuetudine tenebantur, qualem vero causam ipsa hæresis haberet, nunquam antea cogitauerant, nunquam querere & considerare volue-

Augustinus de pena hæreticorum sententiam mutauit.

Seueritas timidos rotat, duobus reuocat.

Multi cupi-
unt videri
cogi.

rant, mox vbi caperunt aduertere, & nihil in ea dignum inuenire propter quod tanta damna paterentur, sine vlla difficultate Catholici facti sunt. Docuit enim eos sollicitudo, quos negligentes securitas fecerat. Istorum autem omnium precedentium auctoritatem & persuasionem secuti sunt multi, qui minus idonei erant per seipsum intelligere: quid distaret inter Donatistarum errorem, & Catholicam veritatem: ita cum magna agmina populorum vera mater in sinum gaudens recipere, remanserunt turbae durae, & in illa peste infelici animo fixae sistentes. Ex his quoque plurimi simulando communicauerunt, alij paucitate latuerunt. Sed illi qui simulabant paulatim assuescendo, & predicationem veritatis audiendo, maxime post collationem & disputationem, qua inter nos, & Episcopos eorum apud Carthaginem fuit, ex magna parte correcti sunt. In quibusdam vero locis vbi pertinacior & impacacior praevaluit multitudo, cui resistere non poterant pauciores, quorum erat melior de communione sententia, aut turba auctoritatis paucorum potentiorum subdita in malam partem obtemperarunt, aliquanto diutius laboratum est.

Flagellis
perfidia ca-
stigatur.

Idem contra literas Petiliani. Petilianus dixit: Quod si cogi per legem aliquem vel ad bona licuisset, vos ipsi miser! & nobis ad fidem purissimam cogi debuistis. Sed absit, absit à nostra conscientia, vt ad nostram fidem aliquem compellamus. AVG. respondit: Ad fidem quidem nullus est cogendus inuitus, sed per seueritatem, imo & per misericordiam Dei tribulationum flagellis solet perfidia castigari. Nunquid quia mores optimi libertate voluntatis eliguntur, ideo mores pessimi non legis integritate puniuntur? Sed tamen male viuendi vltima disciplina praepostera est, nisi cum praecedens bene viuendi doctrina contemnitur. Si qua igitur aduersus vos leges constituta sunt, non eis benefacere cogimur, sed malefacere prohibemur. Nam benefacere nemo potest nisi elegerit, nisi amauerit, quod est in libera voluntate: timor autem poenarum & si nondum habet delectationem bona conscientiae, saltem intra claustra cogitationis coeret malam cupiditatem. Qui tamen aduersas leges constituerunt quibus vestra comprimatur audacia, nonne hi de quibus dicit Apostolus. Quia non sine causa gladium portant, ministrium Dei sunt, vindices in iram ei qui male agit?

Germani in
varias reli-
giones prin-
cipum ar-
bitrio ducti.

§. 13. Quid igitur in omnes iure, & lege aget princeps, & ad idem cogit? Non in omnes, sed tamen pro omnibus aget. Si pauci sunt, si sine motu fieri potest iubet non esse haereticos, magos, idololatrias? sed sensum vigor legum exeratur, nisi vbi contagionis periculum est. Qui perniciosi sunt remoueantur, caeteram turbam principis auctoritas ducet. Multos verecundia, multos timor retinet, plerisque vero vana securitas quasi melius aliquid non appareat, quod sequantur. Intra paucos annos in Francia supra centum millia ad veritatem conuersi sunt, in Germania plures. Nullus principum Germaniae qui ad Catholicos adducere suos conatus est, vim expertus est legibus suis contrariam. Belgae duntaxat rebellauerunt, sed nec erat sola causa religio, nec praetexebatur, priuilegia, & libertas obtendebar, & inuisum semper populis cultis exteræ nationis imperium, decimarum exactio populum ad seditionem concitauit.

§. 14. Manet tamen politicorum aliter sentientiū decretum. Non esse cogendos, nam sic & impii manent, & simulationem adiungunt impietati, geruntque scelus. Sic purpurei cultores, non Dei effeceris. Sed errant illi, & Reipublicæ paci, non tantum religioni obfistunt. Primo enim ne mala faciant, ne sacrificiis idololatricis demonem colant, ne templa vastent, sacra irideant, Deum sceleribus suis inscribant, veritatem oppugnent, salutari lege imperatur, quamvis enim inuiti parent, melius est tamen coactos sola mente, quam mente simul & opere in flagitia ferri. Quemadmodum etiam secularium legum formido multos animo iam & voluntate reos, ab audendo, & potiendo deterret.

§. 15. Nec à malis tantum abduci, sed in virtutis

etiam scholam, sacrariumque inducere lex affolet. Honeſta enim & pia iubet, prohibetque contraria. Pia inquam iubet, & pie facere, non ſimulare, hypo- crisin ſua quiſq; nequitia imputet. Honorare magiſtratum contumaces etiam iubentur, quia recte præcipitur, nec ideo honeſta imperare lex nõ debet, quia honeſta facta ſimulator animus vitiat, ſed monere vt ſponte, quod officium requirit, efficiant. Plerumque tamen cum ad honeſta impelluntur ſenſim ea etiam honeſte peragunt, & animos ad virtutem applicant, cum manus operi admo- uere neceſſe eſt: Quod ſi nõ nullorum durities reſiſtit, conſuetudine tamẽ emol- litur, atas vero tenera, nondum imbuta malis recens impietate imbuitur, in ſenectam boni odoris ſuaui- tate deducta; memini ſane pueros multis parenti- bus erroris deponendi fuiſſe auctores, qui cum adoleſcunt, & poſita prætex- ta tribum aut curiam ingre- diuntur, optimos ciues Reipublicæ ſe præſtant. Quod nunc multa millia in Germania præſertim Bauaria, Stiria, Carinthia, Belgio facere videmus. Itaque & reformatio quæ prouectos non adiuuat, ætatem pue- rilem tamẽ Catholicam exhibet.

Lex ſenſim
virtutem
inducit.

§. 16. Nona ratio eſt, atque inter omnes pene ef- ficaciſſima, vt Reipublicæ præſides vitæ integritate, morumque puritatem colant. Initio dixi de morib; omnium; nunc peculiariter moneo reformationem tardam, difficilemque fore, niſi Prælati, doctoresque inſigni non modo innocentia, ſed fama etiam inno- centiæ toti Reipublicæ præluceant. Cum enim adeo maligna res ſit, & calumnioſa ſuperſtitio, vt de ſan- ctiſſimorum virtute, atque exiſtimatione detrahat, inculpatiſſimos etiam Athanaſios fictis criminibus per ora hominum traducat, emptis teſtium periuriis ad tribunalia trahat, quaſi in alieno crimine ſat cau- ſe ſit, cur hæreſes non deferantur, quis dubitet quã- do publica ſunt ſacerdotum ſcelera, magno detri- mento religionis ea tolerari: Clericorum; Clericorũ, inquam Clericorum; ſed malorum vita turpis hære- ſes fecit; auxit, conſeruauit. Frequenter cum hæreticis, aut cum illis qui credunt hæreticis in diſputationem veni, poſt argumenta quæ minimo labore ſoluuntur, & retorquentur, in accuſationem Clericorum ver- tuntur, eaque proferunt, quæ nec negari, nec defen- di poſſunt. Quid igitur hac in re faciet Reſpublica? Primo adlaborabit, vt Episcopos & prælati caſti, libera- les, ſobrii, fortes, relatores legis diuinæ eligantur, qui mores reformant, ipſi quicquid poſſunt prin- cipes poteſtatis adiungant, nec difficile remedium; e- briofus, aut concubiniarius eſt Canonicus; aut Paro- chus accuſator opponatur, eius dignitatis & præbe- dæ candidatus accedat alius, conuiſtus deponatur, & Episcopatum eius accipiat alter. Si inter ſe diſi- mulent prælati, nec corrigant ſuorum vitia, liberam reformandi poteſtatem regibus, & principibus Chri- ſti Vicariis concedat, quod nuper magno prouinciæ bono ſereniſſimo cuidam principi commiſit. Verum quia ea de re lib. 2. c. 9. de pace Germaniæ ſatis egi, & hic locus requirit eadem, malo illa huc tranſferre, quam aliis verbis hic recenſere.

Optimare
ligionis re-
formatio
bona vita
præſulum.

Clericorum
vita hære-
ſes fecit.

Facilis cor-
rectio cleri.

Qui cum
ſcandalo
tenent be-
neſicia, pri-
uentur.

§. 17. Primo loco, vt rem ſumme neceſſariam, ſi- ne qua pax nulla vnquam conſtituetur, conſtituta non perdurabit, Eccleſiaſtica diſciplina, vbi ea elan- guit, reſtitutionem, vbi riget, conſeruationem pono, hæreſcon, & perſecutionum veterum, & recentium fere cauſa fuit Chriſtiani Cleri, & populi diſſolutio. Antiquum Eccleſiæ vulnus, ſed quod nimium reno- uatur, vt nunquam in toto orbe inueteraſcat, nun- quam perfecte ſanabitur. Dominus, inquit S. Cyprianus probari ſamiliam ſuam voluit, cum ſcilicet perſecutione permixtiſ; (loquitur vero de ea, quæ ſub Decio fuit, in Eccleſia quam 38. annorum pax in Africa præceſſit.) Et quia tradita mores, nobis diuinitus diſciplinam pax longa corripuerat, iacentem ſilem,

Tempore S.
Cypriani
corrupti
multorum
in Eccleſia
mores.

Ipsos sacer-
dotes vitia
corripue-
rant.

Disciplina
religionis
conserua-
trix.

Laici causa
sunt vitiōrū
cleri, quia
sic liberos
educant.

fidem, & pene dixerim dormientem censura caelestis erexit; cumque nos peccatis nostris pati amplius mereremur, clementissimus Dominus sic cuncta moderatus est, vt hoc omne quod gestum est, exploratio potius, quam persecutio videretur. Studebant augendo patrimonio singuli, & obliui quid credentes, aut sub Apostolis ante fecissent, aut semper facere deberent, insatiabili cupiditatis ardore ampliandis facultatibus inhiabāt.

Non in sacerdotibus religio deuota, non in ministris fides integra, non in operibus misericordia, non in moribus disciplina. Corrupta barba in viris, in feminis forma fucata. Adulterati post Dei manus oculi, capilli mendacio colorati. Ad decipiendā corda simpliciū, callide fraudes, circumuentionis fratribus subdola voluntates. Lungere cū infidelibus vincula matrimonii, prostituerē gentilibus membra Christi. Non iurare tantum temere, sed adhuc etiam perurare, prepositos superbo tumore contemnere, venenato sibi ore maledicere, odiis pertinacibus iniicem sibi discidere. Episcopi plurimi, quos & hortamento esse oportet ceteris, & exemplo, diuina procuratore contempta, procuratores rerum secularum fieri, derelicta cathedra plebe deserta, per alienas prouincias aberrantes, negociationis quæstusosa mundinas aucupari. Esurientibus in Ecclesia fratribus non subuenire, habere argentum largiter velle, fundos insidiosis fraudibus rapere, vñs multiplicantiū senu augere. Hæc S. Martyr tractatu de lapsis, ætate Martyrum. Nostri malis grauioribus causæ fuerunt, maior disciplina iactura, grandior vitiōrum dominatio, quæ tandem in rebellionem achæresim desierunt. Nec mirum: sine disciplina cura non modo pax religionis teneri non potest, sed ne religio quidem ipsa. Disciplina custos spei, retinaculum fidei, dux itineris salutaris, fomes ac nutrimentum bone indolis, magistra virtutis, facit in Christo manere semper, ac iugiter Deo viuere, ad promissa caelestia, & diuina præmia peruenire. Cyprianus de disciplina & habit. virg. Nihil hoc tempore plerique magis obstat, quo minus ad veterem religionem redeant, quam quorundam in ea male viuientium exēpla. Vulgus enim de vita doctrinam æstimat, quem mancipatum diuitiis, ardentem libidinibus, fastu turgentem conspexerit, ab eo doctrinam largitatis, pudicitia, modestia, se discere recte posse non credit. Miraris non conuerti errantes? miraris sine fructu te laborare? de vita tua dubitant, quia in animo latet, vitia tua sunt in propatulo, plus illa valent ad odium, quam incerta fides ad dilectionem. Cibus verbi Dei promittis esurientibus. Sed manu impura, ac purulenta dum porrigis, suspectum reddit & facis inimicos blasphemare nomen Domini. Est vero peccatum tuum grande nimis coram Domino quia retrahis homines à sacrificio Domini, non à sacrificio arietum & vitulorum, sed à sacrificio orationum, fidei, pietatis. Auertuntur à Deo, cuius ministrum vident tot vitiis inquinatum. Nulla re magis crescunt hæreses, quam clericorum vitiis, laicorum peccatis, qui vitiis suis prolem ita inficiunt, vt pietati nunquam assuescat; testantur id ipsi hæretici, qui scripturis, & rationibus conuicti, in accusationem curiæ Romanæ, totiusque status Ecclesiastici vertuntur, quibus alio loco respōdebo, neque enim magis excusabiles illi sunt, quam filii Israel, qui sceleribus Ophni, & Phinees retracti à sacrificio Domini colebant Baalim, & Astaroth. Nunc illos monco, qui cum de Ecclesia viuāt, de Christi patrimonio incrassati sint, de stipendio ducis nostri largā donatiua accipiant, sua ignauia, inscitia, ebrietate, turpitudine, castra sua hostibus produnt, de animarum pereuntium exitio nihil solliciti, pacem Ecclesiæ in opulencia, & quiete præbendarum collocantes. O Deus bone, si expedit ei, qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in te credūt, vt mola asinaria suspendatur ex collo eius, & demergatur in profundum maris, qui montes poterunt sufficere aut taxa tot ceruicibus alliganda? toties mergendis illis qui nō modo pusillos, sed mundum vniuersum scandalizant; magnos, & paruos, pu-

illos qui in te credunt, magnos vt credere desinant, incredulos ne ad fidem veniant. Omnibus Christianis dictum est. Sitis sine querela, & simplices filii Dei, si ne reprehensione in medio nationis praua, & peruersa, inter quos lucetis, sicut luminaria in mundo: verbum vita continētes ad gloriam meam in die Christi. Philip. 2. 15. Episcopis vero & prælatis dicitur. Exemplum esto fidelium in verbo, & in conuersatione, in caritate, in fide, in castitate. 1. Tim. 4. 12. Et. In omnibus præbe te ipsum exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate, verbum sanum, irreprehensibile: Tit. 2. 7. Et quare? causam addit: vt is qui ex aduerso est, vereatur nihil habens malum dicere de nobis. Non verbo solo, sed exemplo vel maxime Apostoli orbem conuerterunt, exemplis iterum ad infidelitatem itur, dum enim conscientiam abnegant, fidei naufragium faciunt. Quia enim in conspectu populi male viuunt, quantum in ipsis est, eos à quibus cognoscuntur, occidunt. Omnis, qui male viuunt in conspectu eorum quibus prepositus est, quantum in ipso est, occidit.

Quid igitur? an illis in partibus vbi Ecclesiæ disciplina negligitur perpetuum bellum prædicas? Aut bellum, aut seruitutem, aut interitum. Si enim mores emendentur, abusus tollantur, scandala remoueantur, perbreue bellum victoria excipiet solida, si peccatis Deus amplius irritabitur, errantes, in hæresi firmabuntur, hæsitantes, & dubii plane auertentur, excutiet licentiam ac lasciuiam, vt multis iam locis fecit, Deus. Si Episcopi ac prælati impares sunt quorundam vitiis, fortiores Deus Zelotes mittet vltorem, quo impium simul tollet, & impietatem eius. Sic Asiam, Ægyptum, Græciam Turcæ occuparunt, dum nec Clerus parer Episcopis, & Episcopi à summo pastore defecerunt, dum mores barbarorum nequitiam superabant. Ita fere comparatum videmus, vt cum ad summum vitia ascenderint, omnia pariter ruant, ad summum autem ascendisse credenda sunt, si publica lege, vel consuetudine, & approbatione committuntur, si vim omnem vigoremque legum, si auctoritatem Magistratus elidant. Enonitur quod sanari non potest. Peribit in Europa religio, nisi sanctitatis religionis morum integritas consentanea sit. Quid igitur reformandum censet? dicit mihi quispiam reformationis & metuens, & indigus. Generatim quicquid deformatum est, quicquid etsi deforme non est, ob circumstantias tamen causa est alicuius in Ecclesia deformitatis.

CAPVT XIX.

Alia minora pro reducenda vera religione adiumenta.

§. 1. **P**lutima sunt pro temporū, locorumque varietate, quæ prudentia, & pietatis ingeniosus amor suggerit, quæ pereuntibus adhiberi possunt, vt saluetur. Sine admiratione disciplinarū mathematicarum capiuntur lapones, moralium rerū prudenti expositione gaudent, Indorū plurimi beneficentia, Americani carimonis & musica, omnia igitur tentanda sunt, pro salute hominum, cum omnia peruigil ille Draco ad eorum exitum molietur. Misera est enim Respublica, si magna quidem turba exundat, sed pereuntium.

§. 2. **P**rimo loco musicam piam ac grauem colloco, quæ non sola modulatione & harmonia aures mulceat, sed multo magis verborū, & sententiarum luce mentē instruat, sanctitate voluntatē afficiat. Veritas suauitate illa facillime discitur, & retinetur. Exemplo falsa docentium, & hæresiarcharum id claret. Paulus Samofatenus hymnos Ecclesiasticos in fæda, adulatoriaque carmina mutauit, Ariani quoque & Pelagiani hoc errorum auxilio fidem, disciplināque perdidērunt; quorundam vero eo vsque est progressa audacia,

Prælati exemplum in subditos manant.

Si prælati emendare possunt impares vitiis, Turcæ tollet.

Omnia pro veritate tentanda principii.

Musica virtutem suauiter docet.